

**Rector Universitatis Rostochiensis, Johannes Huswedelius, Phil. pr. Prof. Ad Exequias Quas Filiabus Dilectiſſimis Annae Et Agnetae, Mater Margareta Kleinsmides/ Vidua moestissima paratas cupit, Academiae cives ... invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771554796>


Druck Freier  Zugang



Huswedel, J.,  
in An. et Agn. Kleinsmid.

Rost. 1639.
















RECTOR

Universitatis Rostochiensis,

JOHANNES HUS-  
WEDELIUS, Phil. pr. Prof.



AD EXEQUIAS

Quas

Filiabus Dilectissimis

A N N Æ

Et


AGNETÆ,

Mater

MARGARETA Kleinsmidesl

Vidua moestissima paratas cupit,

Academia cives ad horam mediam primam in  
Templum Jacobeum invitat,



ROSTOCHI,

Litteris NICOLAI KILII, Academ: Typog.

Anno M DC XXXIX.





Nno, ante hunc, proxime elapso superiore, Kalendis hujus Februarij, ad suæ quietis locum deduximus elegantissimam puellam MARGARETHAM Kleinschmieds; Dies aliquot elapsi sunt post annum vertentem, & ad ~~conferentiam~~ suam deducimus duas ejus germanas sorores AGNETAM & ANNAM, non formæ elegantia, non morum, non pietate, vel ullius spe virtutis, illa minores, ANNAM etiam annis aliquot majorem. Casus est non quidem planè inusitatus, hoc enim fragili tempore pluribus contigit, sed matri tamen perquam tristis & luctuosus: cujus dolorem non parum auget mariti longè carissimi obitus, inter hæc triumpharum funera mense Novembri anno superiore, interjectus. Quatuor igitur, eaq; capitum, carissimorum funera domi suæ intra annum, per paulo plusquam vertentem, vidit matrona honestissima; qua causa an indignabitur, an lamentabitur, an exoptulabit eum Deo, cum ejus providentia, cum seculi fortuna? Id quidem nec pietati & fidei nostræ Christianæ, nec patientiæ conveniret, quam Servator nos docuit,



evit, nec ad ullam rem foret utile, forsan quoq;  
præter dolorem oculis & cordi additum, æ mulis  
improbis commodum. Desinet igitur matrona  
honestissima, & mater piissima cicatrices istas  
veteres & jam obductas refricare, vulnus vulne-  
ri sua culpa non addet, nec sibi dolorem lu-  
ctumq; multiplicabit: Nos potius agemus, quod  
nostrarum erit partium, & quantum possumus  
laboris ac doloris ei molestissimum onus mi-  
nuemus, partim recensendo beatarum virgi-  
num majores, partim vero matrem viduam allo-  
quendo. Natæ sunt ergo, prius defuncta quidem  
AGNETA Kleinschmieds/ anno 1632, die 6. mens.  
Julii, altera vero ANNA posterius mortua, An-  
no 1622, die 19. Septembris ex parentibus prima-  
riis, Patre quidem Viro Amplissimo & Consul-  
tissimo Dn. JOANNE Kleinschmiedt Juris Do-  
ctore & hac in Universitate Professore Clarissi-  
mo: & ejus conjuge Carissima MARGARETHA  
Richlers/ foemina lectissima, Avus eis paternus  
fuit PETRUS Kleinschmiedt civis olim hac in ur-  
be primarius: Avia paterna ANNA Reimers ma-  
trona honestissima, quæ ante annos aliquot ex  
hac vita piè discessit. Avus maternus Vir Am-  
plifs. & Consultissimus Dn. BARTHOLDUS  
Richler/J.U.D. & Illustrissimi Celsissimiq; Prin-  
cipis ac Domini, Dn. CAROLIPÆ mem. Ducis



Megapolltani Consiliarius, prudentia & fide  
primarius. Avia materna, Dei benignitate ad-  
huc superstes matrona lectissima AGNETA  
CLINGIA, quæ jam secundis nuptiis juncta est  
Viro Amplis. & Consultissimo Dn. REINHOL-  
DO von Geren / Juris Utr. D. eminentissimo &  
judicij provincialis Assessori prudentissimo di-  
gnissimoque. Quid opus est, in primariæ fa-  
miliæ CLINGIANÆ imò & KRONIANÆ arbo-  
rem altius eniti, satis habemus superq; quod in  
rem præsentem faciat. Avia maternæ nomen  
hæ nostræ beatæ in lavacro regenerationis ac re-  
novationis acceperunt bono omine: Siquidem  
ex eo parentes haud vano augurio sunt augurati  
fore, ut quarum nomen gererent, earum quoq;  
virtutes imitarentur. Et imitatae hanc sunt,  
quantum anni sex, totidemq; menses & pauci  
dies, in altera AGNETA, in ANNA vero anni sede-  
cim & quinq; vel sex menses permiserunt: Quid  
si licuisset adolefcere, ad ætatem viro maturâ per-  
venire, virtutes matrona primaria dignas in con-  
jugio exercere, quæ exempla pietatis, castitatis,  
amoris conjugalis, industriæ familiaris, liberalita-  
tis in utraq; habituri fuissetus! Hæc enim omnia  
virtutes maternæ, a vitæ, proa vitæ, promittebant.  
Sed ut fructus, ita ingenia quoq; præcoqua,  
raro ad maturitatē perveniunt: confit citò, quod  
abun-



abunde suppeditatur. Et hoc est, quod parenti-  
bus piis plurimum dolere solet, indoles proba,  
nec diuturna. Indolem certē, qualis dicta est,  
hæ nostræ beatæ parentibus ostenderunt, sed pa-  
rum diuturnam. Cum enim natæ essent supra  
memorato tempore decessit ex hoc miseriarum  
ergastulo, altera quidem nūdus quartus, ita ut  
in eo fuerit annis sex, mensibus septē, septimana  
una, altera vero annis, quot paulo ante dicti sunt.  
Quid est felicem esse si hoc non est? Viderunt  
hujus vitæ conditionem, ambæ, sed ea cum non  
amplius placeret, quasi ex convivio surrexerunt  
domum se contulerunt, ad somnum se compo-  
suerunt lætissimæ resurrectionis diem exspe-  
ctantes, imo jam in societatem sanctarum & an-  
gelicarum animarum receptæ in sororis ac patris  
complexu suaviter conquiescentes. Sanè miran-  
dum est tantam esse vim consuetudini plebejæ,  
ut occupet animos etiam non plebejos & bene  
preparatos. Optamus vitam diuturnam, opta-  
mus liberos florentes, optamus conjugia felicia,  
cum experientia quotidiana doceat nos, nec in  
hac fragilitate ullam nobis diuturnitatem pro-  
mitti posse, quæ conjuncta non sit, cum quoti-  
diano mortis timore: nec liberis illum florem  
promittere possimus, quem vellemus. Licet  
enim à septuagenario vel octogenario atatis ter-  
mino



m' no præcul abessent, tamē tot casibus obnoxie  
sunt, ut non satis recta ratione uti videatur, qui  
sola ætatis fiducia vitam illis diurnam polli-  
ceatur. Quid cœteræ felicitates conjugiorum,  
quas non sine magna vanitate captamus potius,  
quam capimus, instar canum venaticorum, qui  
feras proximis vestigiis insequuntur, extremo il-  
las rostro stringentes, illæ tamen ipsis moribus  
eripiuntur & ora tangentia relinquunt; sic o-  
mnem istam spei conjugalis molem sæpe una  
tempesta impellit ac totam evertit. Igitur con-  
sulemus nobis rectissimè, si neglecta vulgi con-  
suetudine faciamus quod regius Propheta Da-  
vid fecit, ac Deum rogemus, ut mortis nobis  
meditationem necessariam docendo impertiat,  
unde sapientiam hauriamus. Quæ vero est illa  
sapientia? Mortis non eam esse conditionem,  
non eam naturam, quam vulgus nobis fingit,  
somniaq; Deus ipse consolatur populum  
suum apud Prophetam & jubet ut subducatur  
imminentem tempestatem, ut se cubiculo includat,  
donec tempesta defuerit. Christus ipse mor-  
tuam puellam non esse mortuam dicit, verum  
dormire. Somni vero placidi quæ & quanta sint  
commoda experimur quotidie omnes. Deinde  
mortis janua nobis aperta, patet in coelum aditus,  
quo contendimus, aut certè contendere debe-  
mus



mus navibus atq; Quadrigis, <sup>Epist. Epicteti.</sup> Juit ista  
Dux & Redemptor noster illius exemplum sapien-  
tiae, sequamur praecuntem, & sarcinis ac impe-  
dimentis mundi abjectis omnes animi vires per  
Spiritus divini opem expediamus, ut praecun-  
tem assequamur. Alii lites forenses meditentur,  
Syllogismos, alii, problemata, divitias, honores  
& quicquid pro seculi indole magnum pro in-  
geniorum diversitate habetur ac suspicatur: nos  
mortis meditationem exerceamus, ut sapien-  
tiam assequamur, quam qui assecuti sunt, non ni-  
si felicissime moriuntur, imo non moriuntur,  
sed per mortis januam in aeternae vitae societatem  
ingrediuntur. Apud Ethnicos, fuerunt, qui ami-  
cis, liberis, uxoribus defunctis, e vita sponte di-  
scesserint, quod sperarent, in altera vita se co-  
piam habituros eorum, quos in hac vita amave-  
rant; Sapieniae autem verus amator, in hanc  
ipsam spem a tantis autoribus quanti sunt Pro-  
pheta regius & ipse Dn. CHRISTUS, adductus,  
non alibi eam pro dignitate se comparaturum,  
quam in sanctorum & electorum coelesti conci-  
lio, non libenter illac migrabit? Habent quidem  
in deliciis foemellae elegantiores, mundum suum  
& ornamenta, sed qui mundus, quae ornamenta  
conferri possunt, cum iis, quae Sponsus Ecclesiae  
suae in altera vita praeparavit, omnem humani in-  
geni



genii modum excedentia? Quare Christiana vi-  
dua, beatarum nostrarum mater moestissima,  
huic meditationi imprimis & ante omnia indul-  
gebit, atq; cogitabit, filiarum suarum obitum,  
esse vel somnum, vel abitum in loca tutiora, vel  
in parthenona, ubi discant non lanam texere,  
acu pingere, dapes concinnare, alios labores do-  
mesticos obire, sed Deum à facie ad faciem con-  
templari, hymnis & laudibus celebrare, & ævum  
immortale cum patre carissimo ac sorore dile-  
ctissima sine ullius periculi metu agitare. No-  
strum erit cives Academici, facere his etiam puel-  
lis & virginibus, quod patri & sorori defunctis fe-  
cimus, non sine insigni laude & commendatione  
gratitudinis, & observantiæ nostræ; Comitemur  
duo funera simul elata frequentes: Corpora  
Christiano ritu in æde S. Jacobi humabuntur ho-  
ra media prima pomeridiana; Isto ergo loco &  
tempore frequentiam vestram nobis adprobate.

P. P. Rostochij die 14. Februarij, Anno 1639.


Sub sigillo Rectoratus,













GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK







abunde suppeditatur. Et hoc est, quod  
bus piis plurimum dolere solet, indolentia  
nec diuturna. Indolem certē, qualis  
hæ nostræ beatæ parentibus ostenderunt  
rum diuturnam. Cum enim natæ esset  
memorato tempore decessit ex hoc mi-  
ergastulo, altera quidem nūdus quarta  
in eo fuerit annis sex, mensibus septē, se-  
una, altera vero annis, quot paulo antea  
Quid est felicem esse si hoc non est?  
hujus vitæ conditionem, ambæ, sed ea  
amplius placeret, quasi ex convivio sur-  
domum se contulerunt, ad somnum se  
fuerunt lætissimæ resurrectionis diei  
etantes, imo jam in societatem sanctarum  
gelicarum animarum receptæ in sororis  
complexu suaviter conquiescentes. San-  
dum est tantam esse vim consuetudini  
ut occupet animos etiam non plebejo  
preparatos. Optamus vitam diuturnam  
mus liberos florentes, optamus conjugum  
cum experientia quotidiana doceat non  
hac fragilitate ullam nobis diuturnita-  
mitti posse, quæ conjuncta non sit, cu-  
diano mortis timore; nec liberis illi  
promittere possimus, quem vellemus  
enim à septuagenario vel octogenario a-

Y 3

